

5882.

1672, 22

26
/

Procancellarius
GEORGIUS TOBIAS
SCHVVENNEN-
DÖRFFERUS

JCTUS, IN ACADEMIA LIPSIENSI
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIUS, ET DE-
CEMVR, ELECTORALIS ET DUCALIS CURIÆ SUPREMÆ
PROVINCIALIS ASSESSOR, CANONICUS MARTISBURGEN-
SIS, COLLEGII PRINCIPUM MAJORIS COLLEGIATUS,
NATIONIS BAVARICÆ SENIOR, ET P. T. PRÆ-
POSITUS MAGNUS,

LECTURIS
Salutem cum Officiis:

LIPSIÆ,

Literis JOHANN-ERICI HAHNII. (a)



Decorative border consisting of three rows of repeating floral and geometric motifs.



GEORGIUS HORNILIS, (a) rerum Hi-
storiarum & Politicarum recentior
πολυδαίδαλος, *Tres gradus* in scholis
Europæis frequentari asserit: *Bacca-*
laureatum putà, *Magisterium* atq;
Doctōratum. Cur LICENTIATURAM omiserit,
ambitiosior aut scrupulosior mens indignetur; nos,
quibus Calumniæ genus videtur, in quemcunq; cala-
mum statim, fasces & secures expedire, excusare ma-
lumus: & quidem per singularem Similitudinē, quæ
inter DOCTORES & LICENTIATOS intercedit.
Erraverat olim *Sysigambis*, mater victi Darii, cum
Hephestionem Φιλαλέξανδρον (β) venerata esset pro
ipso *Alexandro*; sed Alexander [tunc temporis ad-
huc Magnus, id est, Sui ipsius victor] ne utiqvam hoc
iniquè tulit, quin potius deprecanti feminæ dixit:
non errasti, Mater; nam ἔς hic Alexander est. (γ)
Si itaq; ob indolem Amicitia Minor potuit coli pro
Majore, & Subditus pro Monarchâ: quanto excu-
satius fecerit scriptor, qui Majorem dignitatem no-
minat,

(α) Lib. 7. hist. Philosoph. c. 16. p. 386. (β) Alexander M. ex Amicis suis alium
dicebat Φιλοβασιλέα, alium Φιλαλέξανδρον. M. Ant. Muretus ad
Scipionem Gonzagam in dedicat. Orationum suarum. (γ) Q. Curtius
Ruf. lib. 3. c. 12. §. 17.

minat, dissimulatâ Minore. Numquid enim aliàs
quoq; *Majus lumen obscurat Minus*, (d) aut *Majus
in sese continet Minus*? (e) Etiam Philosophantium
scholæ fatentur, *Majus & Minus non mutare Spe-
ciem, variant licet Gradus*. (f) Major utiq; est Do-
ctor Licentiato; at verò, si respicias similitudinem,
sæpè aut plerumq; intercedentem, videbuntur Pares.
Similitudo enim naturam habet *Amicitia, quæ Pa-
res vel accipere vel facere solet*. (n) Quàm similis
autem sit DOCTORI LICENTIATUS, operæ pretium est
demonstrare.

Incipiamus autem ab ipsâ *Voce*, qualem dis-
quisitionem quidem unus alterve

— — — — — *altivolans grus* (g)
negligeret; sed svasu magis Philautiæ immodera-
tæ quàm Philologiæ moderatæ. At verò [inquiet
quis] Licentiæ & Doctoratus voces tantum distant,

— — — — — *quantum distant æra lupinis*? (i)
Verum est, si in Unico illo hæere velimus vocabulo;
Alia adhuc restant. Comprimis autem nobis op-
portunè GUIL. BUDÆUS succurrit, qui Licentia-
tos mavult *Mello-Didascalos* (k) salutare.

In eâdem Galliâ Jureconsultus FRANCISCUS
DUARENUS, (l) putat eruditius Licentiaturam vocari

A 2

Pro

(d) Gisbert. Isendorn *Physiol. parte speciali tract. 2. c. 2. qv. 6.* (e) *Dd. ad L. 21. ff. de R. I.* (f) *Greg. Stannarii regula Philosoph. sub Logic. p. 171. can. 8.*
(n) *M. Minucius Felix in Octavio pag. 3.* (i) *Verba Ausonii edyll. 12. monosyllabico 81.* (k) *Horatius lib. 1. ep. 7. v. 23.* (l) *ΜελλοΔιδασκαλῶν* uti refert *H. Hermes in Fascic. jur. publ. c. 33. n. 155. p. 662.* (λ) *lib. 9. de benef. ecclesiast. c. 12.*

Pro-Docturam & Licentiatos *Pro-Doctores*. Eosdem JOH. LUD. VIVES Hispanus, (μ) rectius designatos *Doctores* dici statuit. Alii (ν) autem, antiquorum titulorum memores, *Doctores* juris cum *Prolytis*, & Licentiatos cum *Lytis* comparant. Joco autem aut Scommati simile videtur, quando CHR. BESOLDUS in academiâ Tubingensi Licentiatos, nüchterne *Doctores*, cognominatos fuisse annotat. (ξ) Quid? quod prædictis ipsa *Licentia* vox adstipuletur, utpote quæ (quemadmodum *Licet* (ο) sæpè idem est ac *Potesť*) Potentiam & facultatem non aliam involvit quam *Doctus* summam dignitatem petendi & consequendi.

Si nunc à cortice Vocis ad *Rei ipsius* nucleum penetrabimus, evidentiores licebit ostendere parallelismos. *Erpburdiensis academia* olim ea fuit gloria, ut in eâ *Licentiatum* creati inter *Doctores* alibi promotos præluxerint; (π) sed cum efficacius moveat fundata Veritas quam tralatitia quorundam Opinio, alia mox argumenta producimus. Incipiamus autem ab ipso IMPERATORE, qui, ut est *fons dignitatum omnium*, (ε) ita etiam *dignitatum Academicarum*: (σ) at verò ex eodem fonte Licentiatum æquè

(μ) dialogo 13. (ν) Inter eos J. H. Alstedius lib. 24. encycloped. c. 9. reg. 3. p. 1523. (ξ) In vetustiori editione thesauri practici sub rubr. 29. litt. D. p. 218. s. 96am ideo ob causam. Annotat idem Mart. Zeiler ep. 348. p. 165. Refutatur tamen hoc ipsum per morem in Academia Lipsiensi hætenus receptum. (ο) H. Grotius de J. B. & P. l. 3. c. 4. s. 2. § (ingratus ejus, hæc vice) compiler J. J. VVissenbach ad L. 144. ff. de R. I. n. 5. (π) J. Mich. Schwimmer de Professor. dis. 8. theorem. 11. s. 73. (ε) Adam. Pifetzki de statu Seculari c. 1. p. 96. (σ) Joh. Limnei jus publ. lib. 8. c. 8. n. 6.



æquè ac Doctor (τ) suum honorem haurit. *Honorem* autem tantum? imo etiam *Privilegia*, quæ velut Calor quidam cum Radiis prensati honoris junguntur. Privilegia itaq; , si non Omnia tamen Pleraq; * cum Doctoribus communia habent Licentiati: testes hujus effati sunt JOH. WURMSERUS, (υ) MATTH. STEPHANI, (φ) JOH. LIMNÆUS, (χ) & varii Actus tum Judiciales tum Extrajudiciales, Sacri & Nefacri. Sic in *Camera imperii Spirensi*, (ψ) ubi dimidiam partem Assessorum faciunt Doctores, admittuntur quoq; Licentiati. Et uti Doctoribus sic etiam Licentiatis tribuitur potestas *de Jure respondendi*. (ω) *Nobilitas* (α) competit Doctoribus: nec desunt (β) qui etiam Licentiaturam Equestri dignitati supparem esse judicant. Hodie, inquit, MATTH. STEPHANUS (γ) Licentiati & Doctores in *Capitulares* [sive Canonicos] ecclesiarum cathedralium deliguntur, & ad Præposituræ vel Decanatus apicem ascendunt. Expressè quoq; concedit CONCILIUM TRIDENTINUM, (δ) ut sede Episcopali

A 3

scopali

(τ) Videatur *Ahas. Fritschii man. jurispr. publ. p. 158.* (*) Excipiuntur quippe casus Quidam, ubi Specificè & Singulariter Doctoris q̄ualitas & denominatio requiritur. J. J. Speidelii *Speculum litt. L. n. 106. p. 812.* Sic Cathedram ascendere superiorem nequit Licentiatus nondum laureatus, Herm. VVesselingii *nomognosticon jur. p. 600.* (υ) *Exerc. jur. publ. 5. th. 11. p. 223.* (φ) *de jurisdictione lib. 3. parte 2. c. 14. s. 98. p. 125.* (χ) *lib. 8. jur. publ. c. 8. n. 42.* (ψ) *Ordinat. Camera parte 1. tit. 43. vers. einem Doctor / Licentiaten oder Edelmann. Andr. Gailius lib. 1. obs. 43. n. 7.* (ω) *Sagittarii disput. de Comit. Palatin. th. 28. litt. D.* (α) J. A. Crusius *de precedentia lib. 4. c. 31. n. 68. p. 870.* Th. Reinking *de regim. sec. & eccles. lib. 1. cl. 5. c. 11. n. 54.* (β) J. Sibold. *cogn. Schütz disp. 9. jur. publ. th. 4. litt. C. p. 582.* (γ) *de jurisdic. lib. 3. parte 2. c. 14. n. 94. p. 124. adde Exemplum ecclesie Metropol. Colonien- sis, quod offert. Jos. Nolden in disc. de Nobilitate c. 5. n. 58. (δ) Sess. 24. cap. 16. pr.*

scopali vacante constituatur *Vicarius Capituli*, qui
 sit juris Canonici Doctor aut Licentiatus. Nam &
 alibi idem CONCILIUM (ε) in assequendis Dignitati-
 bus Doctores & Licentiatos æquiparat. Pari modo
 utrosq; *Consiliariis principum* inseri, & testis & Ex-
 emplum est JOH. JAC. SPEIDELIUS. (ζ) Favet
 quoq; institutæ comparationi ipse Titulus *Excellen-
 tissimi*, quem [secundum HERM. WESSELIN-
 GIUM (η)] non solum Armatorum exercituum, sed
 etiam Togatorum militum Duces merentur: com-
 munem autem eum esse tam Licentiatis quam Do-
 ctoribus, stylus academiæ testatur. Sicubi ad
 forum invitandi sunt Doctores, *Scriptis citari* de-
 bent, non Verbis: idem obtinet in Licentiatis. (θ)
 Ubi ad Judices aut Magistratus venerint, *Sedendi
 potestatem* (ι) habent Doctores: & ita nec Licen-
 tiati ad Standum cogi possunt. *Testimonio* Alteru-
 trius quando opus est, adigi nequeunt ut Ipsi coram
 Judice appareant, sed alius ad eos mittitur, qui at-
 testationes Domi (κ) ab iis recipiat. Neuter etiam
 in Judicio præstat *Juramentum*, nisi sponte & vo-
 lens; ubi autem præstandum est, Domum eis mitti
 debet. (λ) Debitis obrutus Doctor gaudet *bene-
 ficio*

(ε) *Sessione 24. c. 12. pr.* (ζ) J. U. Licentiatus, idemq; ipse simul. S. Casareæ Maj.
 Cancellarius, ac Sigismundi Francisci, Archiducis Austriæ Consiliarius: in
Speculo notabil. litt. L. n. 106. p. 812. (η) In nomognostico juris universi pag.
 599. m. (θ) J. Mich. Schwimmer de Professor. diss. 3. theorem. 10. §. 65. (ι)
*Dd. ad L. 6. §. ult. C. de postulando. Christ. Kemberg de sumptib. studior.
 qv. 6. n. 5.* (κ) modo citatus Schwimmer ibid. (λ) Joach. à Beust. in L.
ad personas 15. ff. de iurejurando n. 10. §. n. 4.

ficio Competentia; (μ) nec luit in *Corpore*, (ν) etiam si non habeat in *A re*: absonum autem vix erit, si favorabilis privilegii moderamen etiam Licentiatis tribuetur. *Tormentis & quaestionibus* (ξ) eximit dignitas Doctoralis: quidni idem praestet vicinissimus gradus Licentiaturae? A *Collectis* immunes esse Doctores, tradit GUIDO PAPAE: (θ) sed idem mox ipse statuit de Licentiatis. (π) Sunt etiam qui tam Licentiatos quam Doctores excusari dicunt à *Muneribus* (ϵ) & *Vedigalibus* (σ): item, qui jurium quam Licentiatis quam Doctoribus concedunt *Restitutionem in integrum* (τ), si forte Minores & Extra artem suam laesi sunt. Hisce casibus non absimilis est is, quo libri, quos pater comparavit Licentiato, aequè minus *Collationi* exponere tenetur, ac si jam dum esset Doctor. (υ) Quid multis? in *Dignitate* est Doctor, in *Dignitate* est Licentiatus. (ϕ) *Locus promotionis* in Licentiam, locus quoque est Promotionis Doctoralis. (χ) *Essentialia* Doctoris non discrepant ab essentialibus (ψ) Licentiati: neutri sufficit Examen & Disputatio publica, nisi

(μ) Ben. Carpz. *processus tit. 25. art. 6. n. 35.* (ν) Joh. Halbritter in oratione de privilegiis Doctorum. (ξ) Am. Eccold. in *compend. ff. lib. 48. t. 18. s. 9. p. 876.* (θ) *decis. 388. apud. Petr. Gregorium Tholos. Syntagm. jur. universi lib. 3. c. 8. n. 14. p. 63.* (π) *decisione 389.* (ϵ) Rolandus à Valle *cons. 11. n. 23. vol. 2.* (σ) Henr. à Rosenthal de feudis p. 1. c. 5. *concl. 46. n. 1. litt. A.* (τ) Joach. Schnobel *disp. ff. 4. th. 8.* (υ) Laudatus Matth. Stephanus de *jurisdict. lib. 3. p. 2. c. 14. n. 98. p. 125.* (ϕ) Barth. Chassanei *catalog. Glor. mundi parte 10. consid. 34. p. 316.* Ben. Carpzovii *consist. lib. 2. def. 397. n. 17.* (χ) ob *Continentiam cause.* Chr. Besoldi *thes. pract. litt. L. n. 57. p. 591. adde Chr. Crusium de indicis delictorum parte 3. c. 22. s. 32. p. 144.* Herm. Hermetis *fascic. jur. publ. c. 33. n. 155. p. 663.* (ψ) Henr. Stephanus l. c. n. 101. p. 125.

nisi *actus Promotionis solennis* accesserit. (ω) Qualem quidem Promotionis actum debito more modoq; impetrarunt Quinq; VIRI-Præstantissimi

CASPARUS THEOPHILUS

ROMANUS,

ENGELBERTUS de

BURG,

JOHANNES HENRICUS

MELICH,

M. GOTHOFREDUS SCHILTERUS,

Landshutta - Silesius,

M. FRIDERICUS TOBIAS MOE-

BIUS, Lipsiensis.

Sunt autem illi ipsi quos pronuper Publicè audivimus *Commendari* à Pietate in Deum & Superiores, à docili Solertiâ in Studiis, & à Natalium decorâ integritate. Sunt illi ipsi quos *Examinis rigorosi scrutinia*, non ringente Themide, exercuerunt. Sunt deniq; illi ipsi, qui etiam in *Publicis Disputationibus*, sine ullius Præsidis arbitrio, ostenderunt

quid

(ω) G. Chr. Valtherus de privilegiis Doctorum p. 420. 421.

— — — — — quid ferre Recusent,

Quid Valeant humeri (a) — — —

Sic Tres hæctenus celebrati sunt actus: succedat
tandẽ & Quartus *Renunciationis publicæ*. Quem-
admodum enim PLATO (β) ejusq; auditor ARISTO-
TELES, (γ) Bonum virum volunt esse *τελεεινωτον sive*
Quadratum: ita Statuta & Consuetudo NOBI-
LISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ ad structu-
ram Boni veri; *Licentiati* requirunt *Quatuor*
actus præambulos: Primus est propter postero-
res, æquè ac actio ad Exhibendum sæpè institui-
tur ob faciliorem Rei vindicationem: (δ) sed
Secundus & Tertius explorant *Scientiam* Candi-
datorum, theticam & antitheticam: uti Quartus,
ob Juramenti depositionem, afficit ipsas *Conscien-
tias*. Non enim de solo Judice, sed etiam de quo-
cunq; Jureconsulto intelligi debet, quod BALDUS
(ε) dixit: *babeat salem scientiæ, ne sit Insuperbus, &*
Salem Conscientiæ, ne sit Diabolicus. Proinde æ-
quum est, ut Prioribus actibus quasi *Nesacris*, &
ob securitatem *Nostram Proximiq;* celebratis,
succedat ultimus, qui est *Sacer* & quodammodo
ob securitatem *ipsius DEI*. Juramentum enim est
B res

a) Horat. de arte poëtica v. 39. (β) In Protagorâ, ex Simonide. (γ) lib. 1
Ethic. c. 10. & lib. 3. Rhet. c. 11. (δ) Ulpianus L. 1. ff. ad Exhibend. (ε) ci-
tatus à Job. Harprecht ad pr. J. de officio Judicis. n. 9. p. 1018.

res *Sacra*, (S) & species religionis *Cultusq;* *Divini*. (n)

Tuum ergò *DIVINUM NUMEN* respiciat cultum, Tuamq; sentiat gratiam actus, quò per potestatem à *Reverendissimo, Serenissimo ac Celsissimo Principe ac Domino, Domino CHRISTIANO, Duce Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, postulato Administratore Episcopatus Martisburgensis, Landgravio Thuringiæ, Marchione Misniæ, & utriusq; Lusatia, Comite in Marcâ & Ravensberg, Dynastâ in Ravenstein, CANCELLARIO hujus Academiae & Domino nostro*
Cle-

(S) est Sacramentum c. qbi Sacramento II. ca. 22. qv. 4. Auth. Sacramenta pberum C. si adversus vendition. (n) Jer. Setserus de Juramentis lib. 1. c. 1. n. II. p. 7.

Clementissimo mihi gratiosissimâ delegatione concessam, illis **QUINQ; VIRIS** gradum **LICENTIÆ** sine licentiâ, nec ad licentiam, conferam.

Ut autem solennis Promotionis specimen *die 24. Octobris horis matutinis in collegio Jctorum* exferendum, luculentiori solennitate coruscet, **MAGNIFICUM ACADEMIÆ RECTOREM**, Amplissimos **CIVITATIS CONSULES**, & cum Utriusq; Reipublicæ **PROCERIBUS** Æstimatissimis **CÆTEROS CIVES** in suis Ordinibus ac Dignitatibus honoratissimos officiosè & peramanter rogo, ut dicto tempore locoq; Venerabilem & Favorabilem Sui **PRÆSENTIAM** nobis communicent: eoq; ipso non solùm Me, sed etiam Totam Facultatem Juridicam, novosq; Licentiatos ad gratæ mentis redhostimenta **SIBI** arctius arctiusq; devinciant.

Quod superest, ad eundem Renunciationis actum *Nobilissimam academia nostra juventutem* invitamus, certò persuasi, Ejusdem florentissimam panegyri Superioribus gratam, Sibi ipsis autem non solùm gloriosam sed & fructuosam fore. *Nulla* (9) enim *res magis animos* (Juvenes) *Honestate*

B 2

induit

(9) *Jos. Mar. Maraviglia in legibus honestæ vitæ, lege 29. p. 120. ex Senecâ fortè.*

induit aut in pravum declinantes revocat ad Re-
ctum, quam Bonorum virorum Consortium & Exem-
plum! PP. Lipsiæ die XX. Octobr. qui simul
erat Dominica XX. post TRINITATIS.
A. C. M DC LXXII.



Leipzig, Diss., 1672 (1)


TA-OL


32.1+28



1077







B.I.G.

Farbkarte #13

1672, 22
26/1

ellarius

S TOBIAS

ENDEN.

FERUS

EMIA LIPSIENSI

ORDINARIUS, ET DE-

DUCALIS CURIÆ SUPREMÆ

NONICUS MARTISBURGEN-

MAJORIS COLLEGIATUS,

SENIOR, ET P. T. PRÆ-

MAGNUS,

CURIS

m Officiis:

SIÆ,

ERICI HAHNII.

